



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. X. Pœnis & plagis moderatis iuuentutem in officio continendam esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Consuli a
magistratu
magne di-
gnitatis est.

Patria sa-
luti sape do-
cti fuerunt.

Privatum,
& publice
in suos fuere
gratiprae-
pores.

Statuis ho-
norata eru-
ditio.

Hostes ami-
ci sunt eorū
qui docti
sunt, inter
hostes.

aestimant, ut Caelium iureconsultum adeo super-
bum Cicero iudicet, ut a Caesare consuli malit, quam
inaurari; qui enim consilium, alienam praestantiam a-
gnoscat, qui inaurat, auaritiam ferulem exprobat.
Hinc & factum ut Persarum reges, aut eruditi essent,
aut ab eruditibus, quos Magos vocarunt, regeren-
tur.

§. 10. In gratiam doctorum publicorum, etiam
populis, urbibusque multa concessa sunt immunita-
tes, vel donata delicta. Ptolemaeus humanissime fe-
ruaginta interpretes inuitans, & excipiens, miracu-
lo concordium versionum attonitus, Iudaeos ingen-
tibus beneficiis affecit. Sulla Athenis, propter mor-
tuos pepercit: Indignum enim homine existimauit,
domicilium humanitatis excindere. Alexander Ar-
istoteli, stagiram suam solo aequatam, exstruxit.
Lampacum Anaximeni donauit, cum enim eam ob-
sideret, videretque eum egressum deprecatorem fu-
turum, iureiurando asseruit, se non praestitutum quod
peteret: Sed ille, peto, inquit, ut Lampacum deleas.
In quo quid potius mirer nescio, solertiamne Anaxi-
menis, qui regem contra votum suum iurare coegit;
an animum Alexandri, qui putaret preces viri docti,
non nisi iuramento opposito, retundi posse; quique
plus vnus preces philosophi, quam hostium mentia,
atque arma formidaret. Alexandrum imitatus est Au-
gustus, qui Alexandrinis propter Arcum in philoso-
phia praepceptorem ignouit. Quantum ab illo diuer-
sus, qui Senecam vitis suis grauem occidit?

§. 11. Civilibus honoribus multos condecoratos,
iudicio principum constat, sola eruditionis praeoga-
ticia. Pharaon Iosephum, Darius Daniele, Gratia-
nus Aufonium, Antoninus Proculum, & si vetera
placent Achilles Phoenicem praepceptorem extulit,
dignumque iudicauit qui secum regnaret.

Ἰσὼν ἐμὴ βασιλεὺς, καὶ ἡμῖν μετὸ πῦρ.
Pari mecum iure regna, & dimidium honoris accipe.

Fuit ille priuatus magnatum, in suos praepceptores a-
mor; Imperatores alii, ut studia excitarent, in omnes
munifici fuerunt. Theodosius, & Valentinianus
magistros, quorum opera probata fuit, illis qui sunt
ex vicaria dignitate connumerarunt. Vicariorum
dignitas comitum, & ducum par fuit: Comitum
etiam eadem illis leges permittunt. S. Basilium ma-
gnopere in hoc incubuit, ut bonis artibus, moribusque,
filii Cappadocum instituerentur, eosque cum in eru-
ditione profecissent, enixe ad magnos honores, cu-
rabat euehendo. Constantinus quoque ingenia,
largitate, & honorificentia excitauit.

§. 12. Statuas etiam, & columnas, imo aras ali-
quando eruditioni antiquitas erexit. Romani Proe-
resio statuam locarunt, Regina urbium eloquentia regi,
ut Eunap. refert, sed nimis sane ambitiose. Melius
Romani iidem Pythagorae, tanquam sapientissimo
ex oraculo statuam fecerunt, ut Plutarch. in Numa
refert. Nam quod idem praestiterunt Alcibiadi, tan-
quam fortissimo, grauiterr errorum. Mithridates rex
Ponti, meliore iure hoc praestitit Platoni. Verum
statuarum honor, pluribus deinde communicatus
est, cum Orbilius Pupillus marmorea donatus fue-
rit, ut auctor est Suetonius. Alexander Ciceronis,
& Virgilii statuas in larario consecravit, ut refert
Lampridius. Vniuersa Graecia Gorgiae Leontino in
ade Apollinis Delphici, auream statuam posuit, cae-
teris aurata duntaxat honoratis. Val. lib. 8. 16.

Pythagoram Crotoniata virum magnis honori-
bus affecerunt, mortui domum in templum Cereris
consecrarunt, quod indignum putarent, sub illo re-
cto habitare homines dissimiles viro tam sapienti.
Magis miror Macedones, Eurypidi monumentum
exstruxisse, cum literis minus essent culti. Spartani
etiam contra morem suum egerunt, poetices, & phi-

losophiae inimici, cum captis Thebis, Pindari ad-
ibus inscripserunt:

Τὸ μυσσὸν τὸν ἑῶν μὴ καίεται.
Poeta domum ne incendite.

Magnus & doctus Aragoniae rex Alphonsus, Cice-
ronis etiam villam parcendum ratus est, in Caietana
enim obsidione saxa, & ligna pro tormentis, machi-
nisque peti prohibuit, asseruitque malle se nunquam
tormentis uti, quam tanti oratoris praedium violare.
Causa cur tantis illis honor deferatur, est nota, quam
& Sigismundus quibusdam reddidit; Indignantibus
enim quod homines doctos altius prouehere vide-
retur, respondit; se eos merito amare, quos praecellere na-
tura voluit.

Quemadmodum igitur stulte principes faciunt,
qui consiliarios prudentes, & gnauos facile dimittunt,
vel tenuitate stipendii abscedere cogunt; quia
illi cupide mox a maioribus principibus accersuntur,
ita & in doctorum virorum neglectu peccant,
quos tum primum, cum dedecore prouinciae suae
abiisse intelligunt; cum apud alios in dignationem
venisse illis refertur. Si enim artibus honestis, (mo-
net Iuu. Satyr. 3.)

Nullus in vrbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est, heri quam fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid. Proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Daedalus exiit alas.

Nam reuera ut ille nouerat, & inculcat Sat. 7.

Poenituit multos vana, sterilique cathedra,
Sicut Thrasy Machi probat exitus, atque secundi
Carinatis, & hunc inopem vidistis Athene,
Nil praeter gelidas ausae conferre cicutas.

Honorem ergo principes, Res publica, parentes, atque
in primis discipuli, suis praepceptoribus debent, quem
cum magnum impenderint, nunquam meritis aequa-
lem dabunt: manebit in tabulis maior summa debi-
torum, quae nunquam nisi agnoscendo, & amando
dispungeretur.

Testis mihi est Valentiniani filius Gratianus, qui
Aufonio praepceptori in haec verba scripsit. Cum de
Cos. in annum creandis mecum solus volutarem, ut me nos-
ti, atque ut facere debui, & te velle sciu, consilium meum ad
Deum retuli. Eius auctoritati obsecutus, te consulem designa-
ui, declaravi, & priorem nuncupavi. Trabeam palmatam
tibi misi, in qua D. Constantinus pater noster intextus est.
Solui quod debui, & adhuc debeo quod solui.

CAPVT X.

Paenis, & plagis moderatis iuuentutem in
officio continendam esse.

§. 1. NE haec quidem cura a Republica aliena est.
Mollem, & delicatam educationem esse
matrem insolentiae, radicem nequitiae, superbiae, &
iracundiae fomentum alio loco docui, nunc disputo,
an omnis punitio intra verborum acrimoniam, ad
sobrietatem vitae, & labores aetatis iuuenili conue-
nientes consistere debeat, an vero verberum, &
flagellorum metu, impetus improvidorum animo-
rum sint coercendi?

Magnos habet aetas illa, quae sui arbitra nondum
esse potest, pro immunitate corporis patronos, & Gre-
cis Plutarchum, ex Latinis Quintilianum. Maior
auctoritas Plutarcho, expertae sapientiae viro; nam
Quintilianum discipulorum proteruita, & dissolu-
tio, non absque nota infamiae refutauit. Argumenta
tamen proponere solent. Nam primo, vapulare
adolecentem deformis est. Quia vilia ingenia, &
proiecta pigritiae flagris ad officium compelluntur.
Generosus equus freno indiget, asinorum tarditas
nec calcaribus, nec fustibus in cursum concitatur.

Natura
praecellunt
docti, ideo
honor illis
debetur, qui
est testimo-
nium excel-
lentiae.

Quos pra-
sentes con-
temnunt,
absentes de-
siderant.

Plutar-
chus, &
Quintilia-
nus plagis
iuuentutem
exemerunt.

Causa cur
blande sine
educandi
Con-
adulescentes.

Contumeliosa igitur verbera sunt, ingenuis corporibus adhibita. Benignitate, laude, munusculis, honoribus, magistratuum umbraticis insignibus, alacritas discipulorum alatur, non opprimat teneros animos sollicitudo, pauorque seueritatis Orbilius, ne odiosas scientias incipiant, priusquam earum gustare dulcedinem possint, cum enim radices artium amarae sint, & nulla penes voluptate condiantur, non debet earum tristitia austeritate minantis oris, & toruitate frontis, & verberum acerbitate exaggerari. Pudore, & liberalitate continere praestat adolescentes, quam metu.

Qui blande
ducitur,
sponte se-
quitur, ma-
lū putatur,
et si bonum
sit, ad quod
seueritas
cogit.

Pulchre Quintilianus. Non sum, inquit, adeo atatum imprudens, ut instandum teneris protinus acerbè putem, exigendamque plenam operam: nam id imprimis cauere oportebit, ne studia, qui amare nondum potest, oderit, & amaritudinem semel perceptam, etiam ultra rudes annos reformidet. Lusus hic sit, & rogetur, & lauderur, aliquando ipso nolente doceatur alius, cui inuideat, contendat interim, & sapius vincere se putet, pramiis, quae cupit illa aetas, enocetur. Hi quoque versus, qui ad imitationem scribendi propinentur, non otiosas velim sententias habeant, sed honestum aliquid monentes, prosequitur hac memoria in senectutem, & impressa animis rudibusque ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum virorum, & electos ex poetis maxime, namque eorum paruis cognitio gratior est, locos ediscere inter lulum licet.

Lex Porcia
pro immu-
nitate ciuiū
Romanorum.

Si enim ingenia sunt proba, facilia, obsequetia, studiū, & laboris amantia, ea plagis exagitare insanum est: Si improba, contumacia, inertia, ne plagis quidem emendabilia. Acta est causa, superest, ut clamemus: O leges Porciae, legesque Semproniae. Popularis esse possem, si ista comprobarem, Porcia lex, virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit. Porcia lex libertatem ciuium, licet eripuit. Cicero pro Rabirio, & Liuius: Porcia lex protergo ciuiū lata, quod graui poena, si quis verberasset, necassetque ciuem Romanum, sanxit. Valeria enim nihil ultra, quam improbe factum adiecerat. Legem Porciam in vniuersi orbis scholas, si imitationes illi induxerint, nouam lucem se libertatis intulisse gloriabuntur, & ingenuos in integrum restituisse. Quia vero magni refert hac in re modum tenere, cum multos seueritas magistrī, plures lentitudo perdidit, rem breuiter explicabo.

Lege diuina
sancitur
moderata
seueritas.

§. 2. Primum autem definio, hac in causa legem Porciam vim legis non habere, recteque facturam, si quis adolescentiae errata, plagis correxerit. Auctoritate enim diuina hoc faciet; Nam qui diligit filium suum, asiduam illi flagella, ut latetur in nouissimo suo, & non palpet proximorum ostia. Eccl. 30. 1. Næ illi faciunt amando filios, ut pessime oderint amando. Qui parit virgo odit filium suum: qui autem diligit illum instanter erudit. Prou. 13. 24. Nam aetas illa capax est institutionis. Filij tibi sunt? Erudi illos, & curua illos a pueritia illorum. Nec ita crede sapientem, ut illa disciplina non egeat. Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplina fugabit eam. Prou. 22. 15. Fructum tam sanctae seueritatis non tacuit spiritus sanctus. Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur: tu virga percutes eum: & animam eius de inferno liberabis.

Causam & necessitatem Ecclesiasticus c. 30. v. 8. adducit. Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadit princeps. Lacta filium, & pauentem te faciet: Lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi: ne doleas, & in nouissimo obstupescant dentes tui. Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua cervicem eius in iuuentute & tunde latera eius dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor anima.

Peroratam iam causam haberemus, si apud omnes tantum valeret infinita Dei, & nusquam falsa, nunquam fallens veritas, quantum proprii iudicii momenta; verum quia pseudopolitici rationis suae caliditatem caelestis prudentiae anteponunt, rem secundum rectam rationem aestimemus.

§. 3. Cum enim hominum cupiditates, affectusque in adolescentia maxime effruescant, cum in ea aetate minus roboris sit, ad sustinendum, minus prudentiae ad declinandum, fortiore remedio aliena sapientia indigent; Adultis quidem carceres, compedes, erigastula, mansiones malae, gladii, fiduculae, cruces, rogi parantur, ne facinora concipere, & patrare audeant: Tenerior aetas, suis quoque terroribus contineri debet: Initium enim obliandum est, nam paruus error in principio crescit in immensum, linea ex vno centro deducta, & pene parallela vix notabili distantia, progressu, immenso inter se spacio dissepuntur. Ebrietates, furta, homicidia, peculatus, periuria calumniaeque vigore legum princeps cohibet: at multo magis horum initia in pueris, ut forbillationes cyathorum, subreptiones calamarum, nummulorumque, pugnas, & morsus, hortorum expilationes, mendaciola, fraudesque; inhiberi est necessum, per haec enim minora ad maxima illa peruenitur.

Insanum
est metu à
criminibus
adultos ar-
cere, licen-
tiam dare
pueris.

§. 4. At dicant alore virtutis, non metu poenae peccata fugere. Imo vero virtutem ament, vitia oderint, non modo ob eorum foeditatem, quam nondum satis cognouerunt, sed etiam poenarum comitatum, qui vitiorum dulcedinem reddat amarum, ac horribilem. Poena facit ut peccata intermitant, intermissio facit, ut peccare tandem desinant, & cessatio à peccatis, initium est virtutis. Peccatis plena est illa aetas, ut monet Augustinus l. 10. in gen. ad lit. c. 12. Non enim de pueris granduisculis agimus, quibus quidem peccatum proprium nolunt attribueri quidam, nisi ab anni quattidecimi articulo, cum pubescere coeperint. Quod merito crederemus, si nulla essent peccata, nisi quae membris genitalibus admittuntur. Quis vero audeat affirmare furta, mendacia, periuria, non esse peccata, nisi qui talia vult impune committere? At hic plena est puerilis aetas, quamuis in eis non ita, ut in maioribus puniendi videantur, quod sperentur annis accedentibus, quibus ratio conualecat, posse praecepta salutaria melius intelligere, eisque libentius obedire. Si tamen impune pueri committant, nulla spes est, maiores non auiros, quod paruis permissum est.

Amorem
virtutis in-
uat poena
delicti.

Puerorum
delicta ra-
tionis imbe-
cillitas le-
uiora facit.

Sane quis neget peccata illa puniendi, nisi qui totam Rempublicam euertere studuerit?

At magnis ingenis verbera non conueniunt: Illa vero vel praecipue sunt coercenda, & crebro, quia laborem fugiunt, & iucunda potius, quam vtilia sectantur, etiam metu, & plagis obiurganda. Ponam Augustini locum, quo nemo ingenio maior fuit, qui sui temporis historiam nobis exponit. lib. 1. conf. c. 9. & 10. Deus Deus meus, quas ibi miseriae expertus sum & iudificationes, quandoquidem mihi recte viuere puero id proponebatur, obtemperare momentibus, ut in hoc seculo florem, & excellerem linguis artibus, ad honorem hominum, & falsas diuitias famulantibus. Inde in scholam datus sum, ut discerem litteras, in quibus quid vtilitatis esset, ignorabam miser, & tamen si segnis in discendo essem, vapulabam. Laudabatur enim hoc à maioribus, & multi ante nos vitam istam agentes, praestruerant arduas vias, per quas transire cogebamur, multiplicato labore, & dolore filius Adam. Inuenimus autem Domine, homines rogantes te, & didicimus ab eis, sentientes te, ut poteramus, esse magnum aliquem, qui posses etiam non apprensens sensibus nostris, exaudire nos & subuenire nobis. Nam puer capiti rogare te auxilium, & refugium meum, & in tuam inuocationem rumpebam nodos lingua mea: & rogabam te paruum, non paruo affectu, ne in schola vapularem. Et cum me non exaudiebas, quod non erat ad insipientiam mihi, ridebantur à maioribus hominibus, atque ab ipsis parentibus, qui accidere mali nihil volebant, plaga mea, magnum tunc, & graue malum meum. Estne quisquam Domine tam magnus animus pregrandi affectu tibi coherens, estne inquam quisquam (facit enim etiam hoc quadam stoliditas) est ergo qui tibi pie coherendo ita sit affectus granditer, ut equuleos & vngulas, atque huiusmodi varia tormenta, pro quibus effu-

Magna in-
genia cor-
rectione e-
gent.

Augustini
pueri pre-

gientis

Parentes
rident pue-
rorum tor-
menta.

giendis tibi per vniuersas terras cum timore magno supplicatur ita parui aestimet, irridens eos qui hac acerbissime formidant, quemadmodum parentes nostri ridebant tormenta, quibus pueri à magistris affligebantur. Nō n. aut minus ea metuebamus, aut minus te de his euadendis deprecabamur, & peccabam⁹ tamen minus scribendo, aut legendi, aut cogitando de literis, quā exi- gebatur à nobis. Non n. deerat Domine memoria, vel ingenium, q̄ nos habere voluisti pro illa etate satis, sed delectabat ludere, & vindicabatur in nos ab eis, qui talia vtiq; agebant. Sed maiorū nuga negotia vocantur, puerorum aut talia cum sint, puniuntur à maiorib⁹, & nemo miseratur pueros vel illos, vel vtroq; n. nisi vero approbet quisquā bonus rerum arbiter vapulasse me, quia ludebam pila puer, & eo ludo impediēbar, quo minus cele- riter discerem literas, quib. maior deformi⁹ luderem. Haud aliud faciebat idem ipse, à quo vapulabā, qui si in aliqua questuū cula à condōctore suo victus esset, magis bile atque inuidia tor- queretur, quam ego, cum in certamine pila à collutore meo su- perabar. Et tamē peccabā Domine Deus ordinator, & creator omnū rerū naturalium, peccatorum aut tantū nō ordinator. Domine Deus me⁹ peccabā, faciendo contra p̄cepta parentum, & magistrorum illorum. Poterā n. postea bene vti litteris, quas volebam vt discerē, quocunq; animo illi mei: non n. meliora eli- gens, inobediens erā, sed amore ludendi, amans in certaminibus superbas victorias, & scalpi aures meas falsis fabellis, quo pruri- rent ardenti⁹ eadem curiositate magis, magisq; p̄ oculos pericu- losa micante in spectacula, ludosq; maiorū, quos tamē qui edūc, ea dignitate præditi excellunt, vt hoc pene omnes optent paru- lis suis: quos tamē cadi libenter patiuntur, si spectaculis talibus impediuntur à studio, quo eos ad talia edenda cupiunt perueni- re. Vide ista Domine misericorditer, & libera nos iam inuocā- tes te, libera etiā eos, q̄ nondum te inuocant, vt inuocet te, & li- beres eos. Quid autem ratione opus, vbi enī peccata impunia esse possunt, vt non exundent, atque in im- mensum excrecant? Consuetudo gentium est om- nium, vt filios blanditiis & plagis erudiant.

Regia sobo-
lis viria
mentis coer-
cet.

§. 5. At plaga seruiles animos efficiunt. Quin potius e- mendatos; non alini modo plagis aguntur, sed duris lupatis etiam, virgaq; generosa equorum vis ad hu- manos vsus domatur, acerrimos & ingeniosissimos, canum flagra docent. Ipse Pelides Danaum fortissi- mus sic institutus est.

Phyllyrides puerum citrara perfecit Achilleū,
Atque animos molli contudit arte feros.
Qui toties socros, toties exterruit hostes,
Creditur annosum pertinuisse senem.
Quas Hector censurus erat, poscente magistro
Verberibus iussus praeiit ille manus.

Moderationem tamen adhibet prudens magistri clementia, vt nec licentiam inertie, vitiiq; concedat, nec atrocitate se, & pulcherrima studia faciat odiola. Leges illi paucissimae suffecerint.

Ira mode-
rationem
translit.
Praecipua
ratio abfit.
Multa ne-
sciat, et si
sciat.
Reprehen-
dat errata,
sine contu-
melia.

Prima. Nunquam iratus puniat; nam & ipse facile modum excedet, & reus, ira se doctōris, non suo me- rito plecti putabit. Iratus enim, sibi, non emendationi iuuentutis pœnas impendit. Secunda. Nec in puni- endo sit præceps, nec in inquirendo nimius; Nam qui cito punit, parum abest, quin libenter puniat. Tertia. Dissimulet potest quid sine publico, & priua- to dāno dissimulari potest. Punit enim non quia pec- catum est, sed ne peccetur. Quarta. A contumelia dicto, factoue inferenda abstineat omnino. Repre- hensione sola vtatur, qua & pater solet. Quinta. Nul- lum vnquam alio, quam suo nomine, aut cognomi- ne appellet: Probrosā enim agnomina grauius offen- dunt, & odium, nō emendationem patiunt. Hærent, & in adultis. Sexta. Semper stet intra modum pœ- nae, nec in tenera etate castigatio par sit delicto; meri- tum maiora subire, satis est scutica cedere: meritum plagas, crebro far est, minis terribili. Septima. Gra- uiora delicta, quā vt paterne corrigi de- beant di- misione puniat.

Lubet hic subiungere historiam iudicialē, vt eam recitat prudentissimus regum consiliarius Gue- uara l. 2. c. 37. Dicārchus historicus Græc⁹ in libro antiqui- tatum, & Sabellicus in generali historia, dicunt, Ad clariss. & antiquissimū Philosophum Solonem Salaminū venisse questū patrē de filio, & filium de patrē, prioremq; filium accusationē in hanc sententiā apud Philosophū instituisse: Ego de patrē meo queror, q̄ cum ipse diues sit, ego vero pauper; ipse me⁹ sit pater, ego vnicus ipsius filius, viuens me abdicarit, & filiū adoptiuum heredem fecerit; q̄ pater me⁹ nec debuit, nec potuit facere. Cū n. ipsi acceptū referam, q̄ natura sum tam fragilis; æquum est vt opes mihi ad sustentandam (fulciendamq;) naturā imbecilli- tatē subministrēt. Ad hac pater, Ego, inq̄t, de filio meo queror, q̄ mihi non filiū, sed hostis capitalis loco fuerit. Omnib⁹ n. in rebus inde ab ipsis incunabulis semper mihi aduersatus est; ideoq; illū viuens exheredauit, & nihil mihi foret tuncundus, quā si quem- admodum ego hereditate, ita diu vita ipsū priuarent. Crude- delissima n. est terra, q̄ non viuū abforbet filium execrabile, cuius nulla est erga patrem reuerentia (& obediētia.) Quod me dicit alium de integro filiū adoptasse, id verum esse, fateor. At q̄ dicit se à me hereditate priuatum, cum sit meo procreatus san- guine, ad hoc respondeo: Non me filium meū abdicare, sed ipsius de meo labore luxuriā exheredare. Nihil n. iniquius, quā su- dore de senis patris corpore guttatim fluente, quasi balneis so- ueri, & recreari filium adolecentem, flagitiosum.

Gravis sit
culpa opor-
ter, quæ pa-
tris amo-
rem exclu-
dit.

Hic patris Orationi ita respondit filius: Neq; me patri mo- lestum fuisse inficior, & luxuriose etiam (flagitioseq;) me vixisse fateor: Sed si verum dicendum est, quod luxuriosus, malusq; euasi, patris mei culpa factum, q̄ me, dum puer essem, nō infor- mauer: & si propterea me abdicat, summa me afficit iniuria. Pater enim, qui filium iuuenis non bene educat (& erudit) in- iuste eum senex abdicat. Respondens denuo pater, verum est, fili inquit, te à me indulgentissime, quando paruulus eras, habitū: sed illud quog; te non fugit, te frequenter à me & eruditum, & castigatum, cum esses iam grandior: & q̄ in infantia te doctri- na non imbuī, ideo factum est, quoniam in tenera illa atatura di- sciplina capax non eras. At cum ego te, & doctrina, & disciplina bona erudiebam; tū & capax ad præcepta ingenium, & etas ad agendum idonea, & vires ad exercendum firmæ aderant. Nam cui & habitas, & vires desunt, ei frustra docendi labor impen- ditur. Hic rursum filius: Quia tu senex es, inquit, & ego iuuenis; tu pater es meus, ego tuus filius; tu (barba & capite) canus, ego imberbis, (tu plus habes experientia, vt q̄ plura vidisti, ego pau- ciora expertus fui, vt qui etate adolescens sum) æquissimum ti- bi fidem haberi, me condemnari videtur. Sepe enim in vita cō- muni vsu venit, vt qui auctoritate minus valet, iccirco in causa iustissima inferior discedat. Fateor mi pater, cum puer essem, te curasse, vt literis imbuerer: Sed nō ibis inficias, si quam noxam admissem, te non sustinuisse, vt castigarer (& plecterer,) atque inde factum, vt quia passus es me facere, quod mihi lubeat, dū puer eram; tibi euaserim inobediens, postquē factus sum gran- dior. Quare iure hoc addo, si (offensa &) culpa hac in parte ar- guor; culpa profecto mea culpa tu non prorsus cares. Non n. est parentum, vt in teneris annis doceant disputare filios, quid sint virtutes; sed vt ad virtutis studium eos assuefaciant, & premiis innitent. Ingens enim bonum est, si nos adolecentes ad id proue- sti atatis, qua cognoscere malum poscimus, ad bene (deinceps) a- gendum sumus assuefacti (& instructi.) Auditis ergo (& ac- curate ponderatis) partis vtriusq; rationibus; Solon Salami- nius, Ego, inquit, hanc sero sententiā, vt adolecētis huius pa- ter, quoniam eum etiam tum puerum nō castigauit, sepultura, postquam mortuus fuerit, careat, & inbeo, vt huius patris fi- lius, quoniam patri non credidit, atq; obediuit, dum erat adole- scens, hereditate, dum is viuit, careat, ea lege, vt illo defuncto, hereditatem adeat ipsius filius. Inuistissimum enim for⁹, filiū innocentiam paternā pœnas luere malitiæ. Inbeo item, vt om- nia ista bona apud virum bonæ fidei deponantur, qui inde det alimenta patri, quamdiu vixerit, & sepulchrum faciat filio, postquam mortuus fuerit. Hanc sententiā quæ & vitam & mortem complectitur, non sine causa tuli. Non enim volunt Diī duplicem esse vnius criminis pœnam, sed alteros in vita, ho- nore aut opibus ereptis, alteros in morte, memoria & sepultura adempta, puniri (& castigari.)

Culpa pa-
rentum est
filiū luxu-
ries.

Adultior, si
paruulo de-
fuit disci-
plina, potius
frangitur,
quam emē-
datur.

CAPUT XI.

Eruditionem Reipublica honorificam, & necessariam esse.

§. 1. **ERUDITIONIS** nomine omnium artium liberalium, scientiarumque cognitione, ipsam etiam sacrarum legum, & Theologiae peritiam complector. De quibus nunc generatim, deinde particulatim agam.

Haud recte dixit non nemo; mala multi amplectuntur, bonum nemo accusat. Scientiam enim multi accusant, olim sane philosophia habuit reprehensores. Licinius adeo indoctus erat, ut ne diplomatistae quidem nomen proprium subscribere possent. Tanto flagrabat odio literarum, ut literas pestem, & calamitatem publicam vocaret; Rhetores & Philosophos acerbissime oderat, virus & venenum Reipublicae eos esse dicebat. Sed ille à patre rustico educatus inter Dacos barbaros, solis illis æquus fuit. Verum hoc vitium rarum est: Tantus est enim literarum splendor, tanta dignitas, ut plerique etiam principes eruditionis famam aucupentur, incitiaeque opinionem fugiant. Nero primus inter eos qui rerum potiti sunt, alienae facundiae eguit. Tac. l. 13. Seneca enim orationes recitabat, ut eloquentiae se laude senatui populoque commendaret.

Quantum vero Reipublicae cōferat eruditio multorum, praecipue nobilium, & magnatum, id in priuato quolibet facile intelligitur. Doctrina enim id confert ut ille dicebat, ne sedeat lapis super lapidem. Quantum Socrates Batto, Atticus Bambalioni, tantum Reipublica polita literis, praestat inerudita.

§. 2. Nam sapientiae studium maxime literis continetur. Non potest autem Reipublica consistere, nisi si qui imperitat, habeat, colatque sapientiae studium. Sapientium sane consilia audienda sunt, alioqui omnia principum decreta, quae non iure, sapientiaque nituntur, sola vis regnantis tutari non potest. Vel subditorum cōiitio, vel laude successoris inconsculte responsorum abolentur.

Primum itaque principem doctum requiro, qualis erat Salomon Deus dedit, inquit Sap. 7. 17. mihi horum quae sunt, scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, morum mutationes, & diuisiones temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quaecunque sunt absconsa & improuisa, didici omnium enim artifex docuit me sapientia.

Quantum vero obsit Reipublicae, cum plerique principes reguntur, & quod aliquis indutus precio, vel odio, aut fauore in aurem insusurrauerit, sequuntur, omnia regna docuerunt. Quamquam secunda haec est felicitas, sapientiaque, sequi sapientes. Nam sapientiae primum est, non credere se sapientem; & qui bonus esse voluerit, non facilius id faciet, quam si malum se esse credat, ut poenitendo bonus fiat.

Προβίος ὁ δὲν ἀνδρῶν τοῖς ἔργοις

Κτῆδος καὶ βίον ἀμεινον, ὅδῃ τὸ σῶφ.

Prudentia nullum hominibus emolumentum maius est, neque melius, quam mens sapiens.

Nec mihi inagis, quam ipsi principi Romanarum legum credi velim. Imperatoriam, inquit, Maiestatē non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatā, utrumque tēpus, & bello rum, & pacis, recte possit gubernari: & Princeps Romanus non solum in hostibus praeiū victor existat, sed etiam per legitimos tramites, calum niantium iniquitates expellat: & fiat tam iuris religiosissimus, quam victi hostibus triumphator magnificus.

Nunquam hoc poterit, nisi ipse leges quibus im-

perat, cognoscat, ut nec bellum rite geret, nisi in castris exercitatus. Merito igitur auct. de iudicibus statuit ne illi indocti sint. Nos igitur videntes omnino confusum iudicium schema, existimauimus oportere hac lege determinare, quae decentem ordinem imponat causae. Non enim existimauimus oportere habere iudicum quorundam nomina, maxime legum ineruditorum, deinde neq. causarum habentium experimentum. Nostris enim administratoribus adsunt modis omnibus etiam assessores, & ea, quae legum sunt, explicant, & occupationes adimplentes eorum: quoniam multi detenti curis, quas apud nos habent, merito iudiciorum complent partē, per suorum praesentiam assessorum. Illi autem neque cingulum habentes, neq. nobis ministrantes, nisi potuerint per se nosse, quod iustum est: sed aliunde emendicare iudicandi honestatem: quomodo non maximum vitium erit reipublica, non eis, qui ex se quod agendum sit, sciant, lites tradere, sed finire eos querere alios, à quib. liceat discere, quae ipsos in iudicando eloqui deceat?

§. 3. Insigne hoc quoque; emolumentum est docti principis, quod solus consiliarios habet, quosdam incorruptos omnino, alios vero timide malos. Qui sine spe & metu rectissime sententiam dicunt, mortui sunt; legunt nam illis principes, quae nemo illis dicere sustinet; nec ferret illa sibi dici ab amico, quae legere gaudent in ignotis, erratis suis conuitia fieri gaudent, cum publica voce monentur. Cum igitur & illi, qui magno studio disciplinis incumbunt, & gubernandae Reip. sese dedit, frequenter errent; quid de illis sentiendum, quos ignorantia, & torpor, velut aureos arietes, in hominum astutorum praedam dedit? Quanquam n. princeps magno sit ingenio, grauique natura ac prudens; non tamen certo, & sine metu Reipub. administrare potest. Nihil enim nisi opinionem habet, quae fallere solet, & falli. Cumque; etiam aliqua praeclearissima cogitauit, iurisperitis examinanda tradat, oportet, à quibus deinde accipiat velut dictata, & sua auctoritate, aliena mente in populum diuulgat.

Doctos principes recentest nobis Solonē, Epaminondam, Philippum Macedonem, Alexandrū, Philopemonem, Romulum, Remum, Caesarem, Octavianum, Tiberium, Claudium, Antoninos, Constantinum, Theodosios, Carolos magnum, & Quintum, Robertum Ierosolymorum regem, Sigismundum imperatorem, Alphonsum Aragonē. Ex praefatis etiam Mithridatem, Chosroem. De quibus Lipsius in monitiis, aliiq. multi. Nec feminas quidē excipiunt, Zenobiā, Amalusiētā, Isābellā, alias. Ego pluris facio, quod omnes illi tā docti, doctissimis viris latius cincerint, atque ita plurima praeclearissime constituerint.

§. 4. Mihi vel hoc nomine eruditi reges, doctaque Reipub. probatur. Quod facile animaduertam Christianae religionis singulare esse priuilegium, in artibus liberalibus, scientiisque excellere. Totum n. mundum palmam Christianis concedere si historiam expendamus, facile intelligemus. Etenim cum praefatis neque; ingenia defuerint, & aetas, diligentiaque; etiam superfuerint, nullo modo tamē ad fastigiū scientiarum, quod Christiani conscenderūt, peruenire potuerūt. Pythagoras, Democritus, Plato, Aegyptum, Asiam, Indiā peragrāt, eruditionem sibi, ut pararent, Crates Thebanus opes abiecit, Cleanthes aqua hauriēda studia sustentauit. Tanta tamē contentione parū consecutos esse cōstabit, si cū Christianis cōparentur, ita ut monstri instar sit, Philosophos gentium tam studiosos, in tam multis ac magnis erroribus haesisse. Sine quoque; nostro tempore, cum multi totam aetatem studiis impendant, cū maximus studendi sit fructus, vix tamen eorum doctissimi adolecētulis nostris comparari possunt; terram non esse quadratam, aliaque; ex P. Matthaeo Riccio primū didicerunt. Narrat rem P. Nicolaus Trigautius l. 4. c. 5. de expeditione apud Sinas. Nulla igitur alia re P. Matthaeus vniuersam Sinenisum Philosophorum urbem in stuporem aque adduxit, quā Europaearum scientiarum firmissimis

Indocti legum iudex est inutilis.

Principem doctum timement consiliarii.

Libri vera principum dicunt, & eos ipsi audiunt.

Principem ignarum carpum cōsiliarii.

Docti principes.

Christiana Reipublica prorogatiua est eruditio.

Priscatempora Christianis asserunt.

Sinarum imperitia apud quos summus fit beatus.